

Sic & Stephanus Angelicum jam fastidium induerat, maxima pulchritudo ex benevolentia in hostes. De Christo D. ait Isaias 63. n. 1. Quis est iste, qui venit de Edon...

Non vellem præterire, quod satis ingeniosè notavit ciatius Emiffenus præallegato loco: Dat Deus fastidium...

Secundo, prius Stephanus suum spiritum Deo commendat: Domine suscipe spiritum meum, deinde pro inimicis orat...

QUÆSTIO XXXIX.

Quare D. Stephanus pro se primo orat, deinde pro inimicis, cum Christus L. prius oraverit pro inimicis, deinde secundo pro se?

Upro se, dicens: Domine Iesu suscipe spiritum meum, deinde pro inimicis: Postis autem genibus clamavit voce magna: Ne statuas illis hoc peccatum.

Respondeo, quia cum Christus D. esset impeccabilis per naturam, & à iustitia non posset excidere, de se erat maxime securus...

De qua excellentissima virtute elegantissime ait Eusebius Emiffenus serm. de S. Stephano: Quid agit Fidei magnitudo, qua non vincitur a malo, sed vincit...

QUÆSTIO XL.

Quare D. Stephanus clamans voce magna rogat pro inimicis, & dat spiritum?

Stephanus positus genibus voce magna clamat: Ne statuas illis hoc peccatum; hanc divinam vocem didicit à suo divino Magistro Christo D. nam cum meus Iesus penderet in Cruce clamavit: Pater dimitte illis...

Præterentes blasphemabant: Salva te ipsum si Filius Dei es, Marth. 27. n. 40. Iesus vero clamans dicebat: Pater ignosce illis: Ad ostensionem divinæ Filiationis petebant illi, ut se ipsum salvaret...

toribus oraret, ex quo considerat celsitudinem, ac sublimitatem virtutis Stephani. Scribit D. Marc. 15. n. 37. quod Iesus emissa voce magna expiravit. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat...

Clamat D. Stephanus non solum voce, sed etiam sanguine suo, ad hoc refero id, quod ait Paulus de Christi sanguine Herbr. 1.2. n. 24. Melius loquente, quàm Abel, seu ut alii legunt, clamantem: Sanguis Abel clamabat vindictam: Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, Gen. 4. n. 10. at sanguis Christi clamat, ac postulat pietatem, indulgentiam, ac remissionem peccatorum.

Ad ejus umbram Stephani sanguis postulat misericordiam, & clementiam, ut visum est in miraculosa Pauli conversione. D. Fulgentius serm. de S. Stephano ait: Per charitatem pro lapidantibus orabat, ne puniremur; charitatis virtute subnixus vicis Sanctorum crudeliter facientem; & quem in terra habuit persecutorem, in Cælo invenit habere consortem. Ipsa scilicet Charitas desiderando, orando acquirere, quos nequidè monendo convertere. Pro qua re maxime, ac eleganter audiendus est D. August. serm. 94. de Diversis & ait: Putas verba ista audivisse Saulus? Audivisse submissans; & irrisit, & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur; & jam pro illo Stephanus exaudivatur. Et ubi nostra vulgata habet: Saulus erat consentiens neci ejus; Arabicus legit: Erat letus de nece ejus.

Occurrit in præfenti existimat, non solum Saulum, sed multos alios ex lapidantibus per has Stephani preces fuisse ad fidem conversos, & gratiarum & salutem animæ comparasse, sicque multos per intercessionem Stephani Christi fidem accepisse. Sic refer Baronius an. Christi 518. quod cum reliquæ S. Stephani translatae essent in Civitatem Majoricam 540. Judæi per miraculum ad fidem conversi sunt, cum viderent, quod saxa, quæ in Christianos, ac portantes sacras reliquias injiciebantur, nullam inferrent læsionem. Quid simile refert D. Augustin. lib. 2.2. de Civitate cap. 8.

QUÆSTIO XLI.

Quare mors D. Stephani dicitur obdormitio?

Cum exorasset Stephanus pro suis inimicis, Domine, ne statuas illis hoc peccatum, obdormivit in Domino: Syriacus: Recubuit in Domino. Alii ex Græco: Requievit in Domino. Quæ omnia denotant perjurandum, ac suavem Stephani transitum; & licet iusti, qui in Domino moriuntur, dicantur dormientes, 1. Cor. 15. n. 18. & 1. Thessal. 5. n. 5. & ad hoc pertinet illud, Apoc. 14. n. 13. Betai mortui, qui in Domino moriuntur.

Tamen de Stephano, non dicitur, dormivit, ut de aliis iustis, sed obdormivit, qui quidem dicendi imodus indicat aliquam peculiarem, suavemque dulcedinem in ipsa morte, tamquam inter brachia Domini; inde Syriac. vertit: Recubuit in Domino. Petr. Dam. serm. de S. Stephano, & post illum Lyran, inquit: Quoniam absorptus est in Charitatis abyssum, & inter Dei suis brachia requiescens; dormivit securus, & quietus in æterna pace; quia Spiritum suum Domino commendavit.

Non solum Stephanus in suo transitu dicitur dormire, sed etiam inter lapidantium manus D. Aug. serm. 92. de Diversis ait: O somnus pacis, qui inter lapides inimicorum dormivit! Jactabantur saxa, lapides tamquam aquarum imbres credebant, vulnera, & ictus infligebantur, membra in frustra cadebant; & inimici terribili voce clamantes, ac blasphemantes, ipseque sic quietus, & placidus erat; alienus ab omni ira, atque malevolentie affectu, tamquam dulci somno quiescens. Dicitur Prov. 3. n. 24. Si dormieris non timebis, qui enim inter pressuras, ac persecutiones hujus sæculi maxime alienus est ab omni affectu, nihil timet. Pergit Textus: Quiesces, & suavis erit somnus tuus. Ex Hebræo legitur: Oppignoratus erit somnus tuus, ipse somnus tuus tam suavis inter adversa erit jam pignus æternæ felicitatis, ac gloriæ.

Stabat magnus noster Athleta inter furibundos lapidantes, & positus genibus clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset obdormivit in Domino. Cum hæc vox tantæ charitatis plena esset, ac si ad ultimum perfectionis apicem pervenisset, obdormivit; seu recubuit tamquam in florido, ac perjurando lecto. Eleganter D. Nissen, homil. de S. Stephano ait: Magnus Stephanus veluti tenetis floribus, vel vere quodam levi circumfusus; in dulcem, simul ac beatum somnum delatus est. Dum generosus noster Levita pro hostibus deprecatur, veluti inter suavissimos, ac odoriferos flores, delectabili mortis somno rapitur.

Clamat Anima Sancta, Cant. 2. n. 4. & 5. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; Fulcite me floribus, & stipate me malis. Cum Anima sancta vidit in se charitatem perfectam, & ordinatam, primo tendens in Deum, deinde in proximum, & inde in inimicos, quid sequitur: Fulcite me floribus, stipate me malis. Ut explicant tres Patres Philo, Carpath. Niffenus, & alii; floribus omnium virtutum; celestium donorum, ac gratiarum Spiritus sancti, hæc universa ipsa charitas in hostes secum asportat, dum non malum pro malo, sed bonum pro malo rependitur. Guillelm. apud Delrium ait sic: Ordinavit in me charitatem, docuit eam quomodo imprimis Deum diligere debeat, proximum ut se ipsam, denique & hostem; eatenus ut malum malo non rependatur, sed cum injuria beneficium commutetur. Cum hac doctrina de inimicis diligendis, non mirum quod omnibus celestibus, ac divinis donis locupletata, omniumque virtutum floribus exorta sit.

CAPUT VIII.

- 1. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia; qua erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samaria præter Aposolos.
2. Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.
3. Saulus autem devastabat Ecclesiam per domos intrans, ac trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.
4. Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes Verbum Dei.